

» Ecclesiam esse auctoritatem leges civiles corrigendi, si quidpiam
 » contra ius divinum aut naturale in illas irrepserit; quemadmo-
 » dum circa leges permittentes divortium quoad vinculum ob
 » coniugis diuturniorem absentiam contigisse infra ostendemus.
 » Igitur filum traditionis insecuta synodus Tridentina recte
 » anathema dixit in eum, qui dixerit: *Ecclesiam non potuisse*
 » *constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis*
 » *errasse* (58).

Abunde igitur ostendimus, quod proposuimus, videlicet, haud posse seculares principes, iure proprio ac originario impedimenta, quae vim habeant dirimendi christianorum coniugia constituere; et si quas tulerint de impedimentis leges, eas aut intelligendas de effectibus civilibus; aut ad executionem canonum fuisse statutas; aut ab Ecclesia approbatas atque adoptatas fuisse, ut possent quoad vinculum vim habere.

ARTICULUS II. — Principes christiani non modo carent exclusiva potestate constituendi impedimenta Matrimonium Christianum dirimentia, sed neque potestatem habent cum Ecclesia communem.

Haec doctrina adstruitur adversus sive antiquiores nonnullos theologos et canonistas, sive adversus recentiores, qui ex aequo utrique potestati ecclesiasticae atque politicae auctoritatem tri-

(58) Op. et loc. cit. part. II. tit. XII. cap. I. §. 19. 20. ed. Lovan. 1700.

Nec dimitti hic debet animadversio cl. Ozanam, qui in op. *La civilisation au cinquième siècle*. Paris 1855. tom. I. agens in sexta lectione *Du droit*, pag. 182. haec praeclare scribit, quae lucem affundunt legislationi civili Roman. et barbarorum. « Nous pouvons dire qu'en 450. la société romaine a deux législations; nous y trouvons, et les barbares y trouveront aussi, deux droits en présence l'un de l'autre: d'un côté, le paganisme antique tempéré par la philosophie des iuriconsultes, qui, nous le verrons, se ressent elle-même de bonne heure de l'influence chrétienne: d'un autre côté, le christianisme, mais le christianisme timide des empereurs, qui n'embrassent que les réformes déjà ébauchées par la philosophie des iuriconsultes et qui mesurent avec prudence les coups qu'ils sont forcés de porter aux anciennes institutions païennes; d'un côté, le droit païen déjà éclairé de la première aurore chrétienne; de l'autre, les commencements d'un droit chrétien encore engagé dans les dernières ténèbres de cette nuit d'où sortait le monde. »

buerunt constituendi pari ratione impedimenta, quae nullum reddant christianorum coniugium. Ex antiquioribus eminere Petrus Soto, Thomas Sanchez, Gerbaesius, Drouin, aliique eos secuti. Ex recentioribus praecipuum locum obtinent Tournelyus, Colletus, deinde vero Baston et Carrière, qui accurate recenset auctores illos, qui hactenus tribuerunt principibus potestatem constituendi impedimenta eiusmodi, omnibusque denique discussis concludit probabiliorem, immo vero et tutiorem theologorum illorum Gallorum sententiam esse in praxi, qua adstruitur pari iure potestas originaria supremaque tum Ecclesiae tum principibus circa impedimenta dirimentia; etsi fateatur argumentum, quod ex auctoritate depromitur, magis theologorum exterorum sententiae favere, qui contrariam tenent, quam Gallorum placito (59).

Quoad nos quaestio haec dirempta iam est ex iis, quae hactenus exposuimus, praesertim art. praecedenti, quo tum a priori tam a posteriori ostendimus, nulla ratione convenire posse principibus ius originarium statuendi impedimenta dirimentia coniugia fidelium. Hunc nihilominus articulum adiicere voluimus ad discutienda propius fundamenta, quibus theologi hac in re principibus faverunt, ut magis innotescat illorum infirmitas. Ut autem perspicuitati studeamus, illa hoc ordine distribuimus: expendemus 1. rationum momenta intrinseca; 2. momenta extrinseca; et 3. nonnulla singillatim in cl. Carrière doctrinam animadvertemus.

Profitemur autem nobis haud in animo esse attingere personas, quas debito prosequimur obsequio, cumque nominatim agere debeamus de sententia Carrière, in mentem iterum lectorum revocamus, quae de hoc praestantissimo viro attulimus, qui utpote pius et doctus veritus non est, quae antea scripserat minus conformia doctrinae Ecclesiae Romanae, reicere ac retractare. Adeoque res est de sola doctrina, quam unice insectamur, ne quis in eam incurrens permoveatur argu-

(59) Tract. cit. tom. I. sect. I. puncto 2. n. 547. seqq.

mentis, quibus illa fulciri stiparique perspexerit. Qua admonitione ex iustitia et charitate praemissa, sic iam accedimus ad id, quod proposuimus.

Argumenta intrinseca ea sunt, quae ex ipsa rei, qua de agimus, natura efflorescunt; sunt autem haec potissimum. 1. Potestas regia ad tranquillitatem bonumque reipublicae est potissimum instituta; eius proinde est id, quod ad finem hunc obtinendum requiritur, providere, cuiusmodi est circa matrimonia ineunda leges ferre illa impediendo et irritando, quae publicae quieti et saluti noxia sunt. Inde enim maxime pendet tranquillitas et recta reipublicae gubernatio. Et sane si potest princeps secularis alios civiles contractus ob reipublicae bonum irritare, ecur non poterit etiam matrimonii contractum irritum reddere, cum id quandoque idem bonum commune postulet? Nec obstat principis secularis potestati matrimonium esse sacramentum; eius enim materia est contractus civilis, adeoque illud perinde potest ex iusta causa irritare, ac si sacramentum non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, et sic potest etiam, non obstante sacramento, reddere in actu primo, ut aiunt, illegitimum ac invalidum contractum. Si enim nudam sacramenti rationem attendamus, nec pontifex ipse circa illud disponere posset, illud dissolvens, eiusque potestas ex ratione contractus humani, qui est materia huius sacramenti, consurgit (60).

2. Nisi admittatur ius originarium principum in statuendis impedimentis, dicendum foret, matrimonia infidelium, ad quos non extenditur Ecclesiae iurisdictio, non aliis impedimentis dirimentibus subiici, quam quae ex iure naturali ac divino

(60) Ita Sanchez *De matr.* lib. VII. disp. 5. qui ibidem plures refert pro hac sententia auctores. Argumentum a Sanchez allatum urgent quotquot principibus ius, de quo agimus, originarium vindicant. Sane quotquot consului auctores inveni huic rationi innixos ad adstruendum ius principibus etiam super subditos christianos circa impedimenta. Sed praecipue evoluit hoc argumentum Gerbaesius in secunda parte sui tractatus alias cit. Deinde Tournely, Collet, alique passim. Loquor porro de auctoribus vere catholicis, nam quod attinet ad Launoium aliosque eiusmodi, eos hic non moror.

promanant. Iam vero maximum incommodum eiusmodi esset. Siquidem ubique ac semper agnitum est moraliter necessarium esse, ut ipsummet vinculum matrimoniale subiiciatur impedimentis dirimentibus positivis (61).

3. Accedit praxis et usus ab immemorabili, penes politicam potestatem receptus, fundatusque in ipsa coniugii natura, constituendi eiusmodi impedimenta, quae nullum ac irritum reddant coniugium, quod contra leges initum fuerit, ut documentis omnigenis per secula singula ostendit Gerbaesius (62). Ad hunc auctorem utpote copiosum, et qui expresse de hoc pertractat argumento, consueverunt se recipere auctores posteriores ad idem evincendum, praecipue quoad illa documenta, quae petuntur ex legibus imperatorum christianorum, nec non regum ac principum, qui dissoluto imperio Romano leges circa coniugia pro suis subditis reddiderunt (63).

4. *Quod Deus coniunxit*, inquit Christus, *homo non separet*. Porro Deus per causas naturales et ordinarias humanos contractus perficit, hoc est, auctoritate legum, sicut naturales res per causas naturales. Non itaque Deus coniungit, quod contra iustas leges humanas coniungitur. Nunquam poterunt iuristae illi, qui potestatem tribuunt soli Ecclesiae statuendi impedimenta, probare auctoritate iuris divini aut canonici, nec etiam

(61) Ita D. Carrière op. et loc. cit., n. 555. qui cum evolvisset argumentum superius positum, adiecit ad validius robur hanc etiam, quam attulimus, rationem.

(62) Op. et loc. cit. §. *On prouve le pouvoir des princes, par l'usage qu'ils en ont fait*; provocatque ad ius Romanum, ad codicem Theodosian., ad Digestum, ubi inveniuntur tituli *De ritu nuptiarum*; *de iure dotium*; *de pactis dotalibus*; *de donatione inter virum et uxorem*; *de divortiiis et repudiis*: *de soluto matrimonio*: *de actione rerum amotarum*, ad codicem Iustinian. tit. *De nuptiis*: *de incestis et inutilibus nuptiis*: *Si nuptiae ex rescripto petuntur*: *de repudiis*; atque ad plures eiusdem imperatoris *novellas*: tandem ad codices Ostrogothorum, Longobardorum regumque Francorum.

(63) Uti praeter allegatos fecerunt Icard. in *Dissert. de impedim. matrim. iure civilis inductis*, cap. IV. pag. 8. seqq. addita tractatui de matrimonio P. Billuart. Paris 1827-51. Item Carrière loc. cit.

ratione ulla efficaci, per hoc nempe, quod etiam eadem potestas vindicetur principibus secularibus, derogari auctoritati ecclesiasticae; cum potius conducat Ecclesiae paci. Si enim ius ipsum divinum permittit prohiberi ab Ecclesia, quod ipsum non prohibet, quare Ecclesia non permittat seculari potestati prohibere circa matrimonium, quod ipsa non prohibet? Fateamur igitur, civiles leges non posse licitum matrimonium facere, quod leges ecclesiasticae illicitum reddunt, sicut nec ecclesiasticae leges approbare, quod divinum ius reprobant. Hoc enim esset inferiorem superiori contradicere. Verum quod ecclesiasticae leges non prohibent, cur leges seculares prohibere non poterunt, sicut quod non prohibet ius divinum, prohibent ecclesiasticae? Nec debent Ecclesiae praelati gravate ferre, si quod temporali paci viderint necessarium, seculares principes statuunt: nec est cur illis se opponant, sed permittant potius matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit: et addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet (64).

Hae sunt rationes praecipuae intrinsecae, seu ab ipsa rei natura petitae, quibus fulciuntur theologi ad ius supremum ac independens principibus vindicandum, eadem plane ratione qua convenit Ecclesiae; et ad has, si quae sint aliae, revocari facile possunt.

Si quis eas accurate perpendat, statim intelliget eas speciosas potius esse quam solidas; siquidem evincunt quidem contractum connubialem, quatenus civilis est, et ad effectus civiles refertur, formalitatibus, quas vocant, aut conditionibus a lege praescriptis conformari debere, et subiacere principum potestati, quod nemo catholicorum unquam inficiatus est, aut inficiatur. Ast non evincunt potestatem ullam principes habere in ipsum contractum naturalem ac divinum, ita ut huius valor ab eorum legibus pendeat. In hunc contractum nimirum

(64) Ita fere Petrus Soto *De institut. sacerdot. De matrimon. Lect. IV.* Venet. 1566.

naturalem ac divinum, nullum prorsus ius, potestatem nullam sive directam sive indirectam aut aliquando habuerunt aut habere unquam poterunt seculares principes (65), sed sola Ecclesia cui haec tantum potestas a Christo ipso fuit collata, Nam contractus naturalis atque divinus simul, cuiusmodi est coniugium a sua institutione, ut suo loco vidimus, a Deo solo sive immediate sive mediate, per auctoritatem nempe spiritualem regi debet quoad substantiam suam. Nulla civilis potestas efficere valet, ut sit nullum ac irritum, quod ius naturale-divinum pro valido habet, aut potest reddere validum quod iure naturali-divino invalidum est. Quod si Ecclesia id facere valet, ideo est, quia quae lege naturali ac divina non satis determinata sunt, ea Deus per Ecclesiam voluit determinari, eo ipso quod hic contractus iam sacramentum effectus ad res sacras pertinet.

Exinde concidit ratio adducta a Sanchezio et ab aliis adoptata; quia scilicet satis prospicere potest princeps bono ac tranquillitati reipublicae, si coniugium irritum faciat, quatenus *contractus civilis est*, ita ut effectibus civilibus careat, qui contra legis civilis dispositionem ineat coniugium, et in foro externo spectetur perinde ac si contractum non fuisset; immo potest princeps poenis eos plectere, qui sine iusta causa praetermissis a lege sanctionibus illud inirent, seu aliis verbis: potest quidem princeps politicus matrimonia *prohibere* non autem *irritare*. Nec valet paritas inter contractum coniugalem caeterosque contractus, quia, uti etiam ostendimus, matrimonium, dato quod sit contractus presse sumptus, contractus tamen est peculiaris ac generis sui, quemque Deus sibi ordinandum reservavit, et constat ex eius institutione, atque ex legibus, quibus illum communivit et in lege naturae, et in lege scripta, praesertim vero in lege evangelica per Christum eiusque Apostolos. Quod additur de contractu prout est materia sacramenti, ad rem

(65) Cf. Muzzarelli *Del buon uso della logica.* Opusc. XXIX. *Del contratto del matrimonio in quanto sacramento.* Firenze 1822. tom. VII.

non facit : laborat enim falsa hypothesis, quod contractus, quatenus civilis est, sit huius sacramenti materia. At huiusmodi ratio *civilis* tota est extrinseca contractui naturali divino, qui per consensum mutuum inter christianos iam est sacramentum.

Ex nostris principiis iam pariter corrui altera ratio adducta a D. Carrière, nisi tribuatur ius hoc principibus, nullum posse impedimentum apponi dirimens coniugii infidelium; nam nos id ultro tanquam verisimilius fatemur; nimirum principes, quicumque demum sint, sive fideles sive infideles haud posse irritum reddere coniugium, quod iure naturae validum sit, nec opponatur iuri divino (66). Poterunt principes reddere nullum coniugium in externo foro civili, ut exposuimus, idque satis est ad bonum sociale, pacemque tuendam.

Corruit eadem facilitate quod Gerbaesius eruditione sua adnitus est ostendere. Siquidem non aliud evincunt adducta ab ipso documenta, quam posse principes civiles irritare quod contra civiles leges initum fuerit, prout est civile coniugium, seu privare effectibus civilibus eos, qui tale coniugium contra leges ineunt. Neque id dissimulant nonnulli ex eius fautoribus, qui candide fatentur non aliud evincere aliquot saltem documenta ab ipso allegata (67).

Nec magis efficax est ratio adducta a Petro Soto : haec enim unice probat, posse principes intra potestatis suae ambitum, scilicet civilis, prohibere coniugia, quae reipublicae bono adversari existimant. At eius potestatis ambitus civiles tantum

(66) Hanc sententiam nos infra pluribus argumentis adstruimus ac vindicabimus.

(67) Inter caeteros Collet, qui cum cap. VII. n. 64. provocasset ad leges a principibus christianis latas, quas recenset Gerbais, in nota scribit : « Fatendum tamen ex iis textibus nonnullos esse, qui videri possint non ad ipsam » matrimonii substantiam pertinere, sed ad effectus ex eo prodire consuetos. » Deinde provocat ad matrimonia filiorum familias sine parentum consensu inita; iam vero, cum formulae, quibus in iure sive Romano, sive Gallico eiusmodi nuptiae irritantur prae caeteris, explicitae sint, patet eadem ratione, qua auctores isti coguntur fateri, leges principum secularium non attingere substantiam seu vinculum, nos posse et debere leges omnes istiusmodi pari modo accipere et interpretari.

effectus, non autem vinculum ipsum complectitur. Deus enim proprie est, qui contractum naturalem divinum cum dependentia auctoritatis a se constitutae coniungit. Quocirca Ecclesia, utpote Dei ipsius interpret, ea est, quae decernit quaenam ad contractum hunc naturalem atque spirituales legitime efficiendum concurrant; seu clarius etiam, quaenam censi debeant personae habiles et idoneae ad contractum hunc spirituales legitime ineundum. Quae si adsint, Deus ipse coniungit; si desint, nihil efficitur. Atque hic rursus apparet disparitas inter potestatem civilem atque ecclesiasticam circa coniugium, quod haec ipsum nexum coniugalem vinculumque in conscientia afficiat, illa quae extra hoc vinculum versantur, solum attingat ad societatis bonum.

Sed ut iam expendamus rationes extrinsecas, huc illae revocantur : 1. Auctoritas Patrum et summorum pontificum, qui latas a principibus circa matrimonium leges commendarunt et approbarunt; imo quandoque et ab illis postularunt.

Etenim Africani Patres in concilio Milevitano hunc canonem edidere : « Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam » disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri coniungantur : sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. » In qua causa, *legem imperialem petendam promulgari* (68) » Ergo in se eiusmodi auctoritatem minime Patres agnoverunt, sed ab imperatore eam expetendam profitentur, vel certe parem agnoscunt ecclesiasticam et civilem potestatem.

Sic concilium Lateranense I. : « Coniunctionem consanguineorum fieri prohibemus : quoniam eas et divinae, et saeculi prohibent *leges* (69). » Et en rursus quomodo concilium ad principum leges se referat ad constituendam eiusmodi prohibitionem.

(68) Can. XVII. apud Hard. *Acta concil.* tom. I. col. 1220.

(69) Conc. Later. I. an. 1125. can. V. apud Hard. *Acta conc.* tom. VI. part. II. col. 1111. et 1112.

SS. Ambrosius et Augustinus pariter provocant ad imperatorum leges, quae prohibuerunt consobrinorum nuptias; ille in epist. ad Paternum, iste in lib. De civit. Dei XV. cap. XVI.

S. Syricius in epist. ad Himerium eandem potestatem in legibus imperatorum agnovit dicens: « Quod et publicae leges et » Ecclesiastica iura condemnant (70), » perinde ac S. Leo I. in epist. ad Rusticum Narbonensem, dum utroque iure *divino* et *humano*, scilicet Romano, impedimentum disparitatis conditionis constitutum affirmat; Nicolaus item I. in resp. ad consulta Bulgarorum dicens: « Quandoquidem nec inter eos, » qui natura, et eos, qui adoptione filii sunt, *venerandae Romanae leges* matrimonium contrahi permittunt (71); » et ita porro alia concilia passim Romanique pontifices sese gesserunt (72).

2. Auctoritas S. Thomae, qui agnoscit matrimonium aliqua ex parte subiacere legi civili, nempe quatenus civilis est contractus, inquit Tournely (73), sicut subiacet Ecclesiasticae, quatenus sacramentum est. « Matrimonium, inquit, lib. IV. Sent. » d. 34. q. 1. in resp. ad 4, in quantum est in officium naturae, » statuitur iure naturae; in quantum est in officium communis, » statuitur *iure civili*; in quantum est sacramentum, » statuitur iure divino. Et ideo ex qualibet harum legum potest » persona effici ad matrimonium illegitima; » Et dist. 40, quaest. unica art. 4. in resp. ad. 2. « Dicendum, quod matrimonium » non tantum est sacramentum, sed etiam est officium. Et ideo » magis subiacet ordinationi ministrorum Ecclesiae, quam baptismus, qui est sacramentum tantum: quia sicuti contractus et » officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus et officia spiritualia lege Ecclesiae. » Vides Angelicum

(70) Cap. VI. apud Constant. col. 629.

(71) Cap. II. apud Hard. tom. V. col. 555.

(72) Apud Gerbais op. cit. part. II., chap. II., et ex ipso deinde Tournely, Collet, Carrière alique posteriores allegant.

(73) Loc. cit. concl. I.

doctorem, prosequitur Tournely, subiicere legibus utriusque potestatis, ecclesiasticae scilicet et civilis contractum coniugalem; ecclesiasticae quidem, quatenus sacramentum est; temporali et civili, quatenus contractus est civilis. Utriusque auctoritatis concursus exigit non immerito S. Doctor, ut possit matrimonium infirmari ac dirimi, cum ad utramque pertineat, quamquam sub diverso respectu « Dicendum, inquit in eodem libro d. 42. q. 2. ar. 2. in resp. ad 4., quod » prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum » matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem » etiam interdicit. » Idem S. Doctor praeterea lib. IV. » Cont. gent. cap. 78. sic loquitur: « Considerandum est, » quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti: generatio autem humana, ad multa ordinatur, » scilicet ad perpetuitatem speciei, et ad perpetuitatem alicuius » boni politici, puta populi in aliqua civitate: ordinatur etiam » ad perpetuitatem Ecclesiae, quae in fidelium societate consistit. Unde oportet, quod huiusmodi generatio a diversis » dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturae, » quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura » inclinante in hunc finem; et sic dicitur esse naturae » officium; in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, » subiacet ordinationi legis civilis, in quantum autem ordinatur » ad bonum Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico. »

Tales sunt auctoritates, saltem praecipuae, quibus propugnant ius civile ad dirimenda coniugia auctores, ut dixi, alioquin catholici et pii. Attamen praeter quam quod, uti ex ipsarum discussione aperte constabit, facilis solutionis sunt, magis probarent quam ipsi vellent. Ex iis enim probaretur, haud sufficere Ecclesiae auctoritatem ad constituendum impedimentum, nisi concurreret civilis auctoritas, et sic actum esset de originaria potestate, quam iure divino hi theologi Ecclesiae vindicant. Immo vero si quid valerent obiectae auc-